Per.Jul. * ☉	Mundi.	Ante Chr.		Olymp.	Urbis cond.	Æra Nab.
4328 16 15 B	3598	386	Trib. *mil.* vi. *Archon Myſtichides.* Diod. xv. Artaxerxes contra Evagoram bellum movet. qui ab Ægyptiis, & aliunde ſubſidia comparat. Lacedæmonii fœdus violant, quo liberas civitates relinquere oportebat. Mantineam aggrediuntur. Dionyſii poëmata Philoxenus contemnit. Diod. xv.	iii	368	363
4329 17 16 AG	3599	385	Trib. *mil.* iv. *Archon Dexitheus.* M. Manlius Capitolinus Camillo invidens popularem ſe facit, æréque oppreſſos alieno liberat. Dictator ob id creatus A. Cornelius Coſſus. qui Manlium in vincula conjicit. Sed mox inde liberatur. Liv. vi. Teribazus contra Evagoram belli dux ab Oronte apud regem accuſatus abſolvitur. Interim Orontes ei ſuffectus cum Evagora tranſigit, ac totam illi relinquit inſulam. Ita Cypriacum bellum biennio deſiit; quod annorum decem ſpatio paratum erat. Diod. xv. Dionyſius Epiro imminens urbes in Adriatico ſinu exſtruit: ut inter alias Liſſum. Lacedæmonii Moloſſis ab Illyricis, & Dionyſio vexatis opem ferunt. Diod. xv.	iv	369	364 Nov. 27
4330 18 17 F	3600	384	Trib *mil.* vi. *Archon Diotrephes.* Diod. M. Manlius de ſaxo Tarpeio dejicitur. Liv. vi. Dionyſius ad Punicum bellum ſe comparans Agyllæ in Ethruria templum diripit. Diod. xv. Naſcitur hoc anno Ariſtoteles. Apollodorus apud Diog.	Olymp. 99	370	365
4331 19 18 E	3601	383	Trib *mil.* vi. *Archon Phanoſtratus.* Diod. Punicum bellum à Dionyſio ſuſceptum eventu vario: quem pax conſecuta. Leptines ejus frater in acie cecidit. Lacedæmonii Græcas civitates ſibi ſubjicere moliuntur. Amyntas Macedonum rex. qui Olynthiis agri partem dederat, recuperare res ſuas volens Lacedæmoniis opem advocat. Diod. xv. Eclipſis Lunæ parva Thoth xxvii. id eſt Dec. xxiii. feria 3. hora 6, 30′. Ptolem. lib. iv. pag. 105.	ii	371	366
4332 20 19 D	3602	382	Trib. *mil.* v. *Archon Menander.* Diod. Phœbidas à Lacedæmoniis contra Olynthios miſſus Cadmeam Thebarum arcem occupat. Olynthii Lacedæmonios vincunt occiſo Teleutia duce. Diod. xv. Altera Lunæ defectio eodem anno Nabon. 366. Phamenoth. xxiv. ſive Junii xviii. feria 5. Ptolem. ibid. Rurſus eclipſis Lunæ eodem anno Juliano, ſed Nabon. 367. Thoth 16. ſive Dec. 12. feria 7. hora poſt merid. 10, 10′. ac tota defecit. Ptolem. ibid.	iii	372	367
4333 21 1 CB	3603	381	Trib. *mil.* vi. *Archon Demophilus.* Diod. Camillus Trib. mil. cum L. Furio collega contra Volſcos profectus rem collegæ temeritate prolapſam reſtituit. Volſcos vincit: & adverſus Tuſculanos poſteà miſſus eumdem ſibi collegam dari petiit. Sed Tuſculi pacata omnia reperta. Jus etiam civitatis ei datum. Liv. vi.	iv	373	368 Nov. 26
4334 22 2 A	3604	380	Trib. *mil.* vi. *Archon Pytheas.* Diod. Præneſtini ſuperati. expugnatæ Velitræ. Liv. vi. Ageſipolis à Lacedæm. contra Olynthios miſſus moritur, cùm regnaſſet annos xiv. Succedit Cleombrotus annis ix. Polybidas Olynthios Lacedæmoniis ſubjicit. Ita potentiſſimi Lacedæm. facti ſunt. Diod. xv. & Xenoph. Maced. xviii. Amyntas annis xviii.	Olymp. 100	374	369
4335 23 3 G	3605	379	Trib. *mil.* vi. *Archon Nicon.* Diod. xv. Romani à Volſcis ducum temeritate victi. Liv. vi. Carthag. in Italia bellum gerunt, & Hipponiatas reſtituunt. Sardiniam recuperant. Lybias, qui defecerant, ſibi ſubjiciunt. Diod. xv.	ii	375	370
4336 24 4 F	3606	378	Trib. *mil.* vi. *Archon Nauſinicus.* Diod. Bœoticum bellum hoc anno cœptum. Thebani Athenienſium ope Cadmeam recuperant. Diod. xv. Xenoph. v. Plut. Pelop. Romani colonos in Sardiniam mittunt. Diod. xv.	iii	376	371
4337 25 5 ED	3607	377	Trib. *mil.* vi. *Archon Callias.* Diod. Tres exercitus in Volſcos ducti. Antiates ſe dedunt. M. Fabius, qui filiarum alteram C. Licinio Stoloni plebeio collocarat, hortatur ipſum, ut cùm Trib. Pl. creatus eſſet, legem de Conſule plebeio altero faciendo rogaret; tum de agri modo. Liv. vi. Græcæ civitates contra Lacedæmonios conſpirant, & Athenienſes duces eligunt. Illi in Eubœam expeditionem agunt. Ageſilaus in Bœotiam ducit. Sed Thebani prudenter cunctantur, duce Chabria. Phœbidas ad Theſpias occumbit. Navalis ad Naxum pugna, qua Chabrias Pollidem vincit. Diod. xv.	iv	377	372 Nov. 25
4338 26 6 C	3608	376	*Nulli curules Magiſtratus fuerunt.* *Archon Chariander.* Diod. C. Licinius Stolo, & L. Sextius Trib. Pl. cùm leges tres anno ſuperiore promulgaſſent: de ære alieno: de Conſule altero è plebe creando: de agri modo: intercedentibus collegis, curulium Magiſtratuum comitia fieri vetuerunt. Itaque ἀναρχία fuit. Liv. vi. Diod. xv. Chabrias Abderitis contra Triballos auxilium ferens, dolo perimitur. Succedit Timotheus, qui celebri ad Leucadem prælio navali Lacedæmonios vincit. Diod.	Olymp. 101	378	373
4339 27 7 B	3609	375	*Anarchia Romæ.* *Archon Hippodamus.* Diod. Artaxerxes in Ægyptum bellum movens priùs Græcos inter ſe pacificare ſtudet, ea conditione, uti Græciæ civitates omnes ſuis legibus utantur, præſidiiſque careant. Soli Thebani lege uti noluerunt Epaminondæ ſuaſu. Exinde tota Peloponneſo ſeditiones in civitatibus exortæ. Diod. xv.	ii	379	374

Per.Jul. * ☉	Mundi.	Ante Chr.		Olymp.	Urbis cond.	Æra Nab.
4340 28 8 A	3610	374	*Anarchia Romæ.* *Archon Socratides.* Diod. Perſarum in Ægyptum expeditio duce Pharnabazo & Iphicrate, illius cunctatione irrita fuit. Novi tumultus in Græcia Lacedæmonios inter & Athenienſes. Quin & Thebani contra Athenienſes bellum gerunt, & Platæas evertunt. Athenienſes ad Corcyram navali prælio Lacedæm. vincunt. Evagoras rex Cypri à Nicocle cæſus. Diod. xv.	iii	380	375
4341 1 9 GF	3611	373	*Anarchia Romæ.* *Archon Aſtius.* Diod. Ingentes terræ motus in Peloponneſo. Elice & Bura pereunt. Diod. lib. xv.	iv	381	376 Nov. 24.
4342 2 10 E	3612	372	*Anarchia Romæ.* *Archon Aciſthenes.* Diod. Hoc anno rurſus Artaxerxes Græcos ad pacem hortatur. Thebani detrectant. Lacedæmonii bellum in eos apparant, Diod. xv.	Olymp. 102	382	377
4343 3 11 D	3613	371	Trib *mil.* vi. *Archon Phraſiclides.* Diod. Permiſere tandem C. Licinius, & Sextius Trib. pl. creari curules Magiſtratus, quod Veliterni coloni Thuſculum oppugnaſſent, Velitræ obſeſſæ. Liv. vi. Lacedæmonii ad Leuctra Bœotiæ Cleombroto duce ab Epaminonda plures à paucioribus victi. Cleombrotus occiditur. Diod. xv. Vide lib. x, cap. xxxii.	ii	383	378
4344 4 12 C	3614	370	Trib. *mil.* vi. *Archon Dyſnicetus.* Diod. Jaſon Pheræorum tyrannus multa præclarè gerit: ac demum per inſidias obtruncatur, inſtantibus Pythiis. Xenoph. vi. Ἑλλην. In Argivorum urbe cruenta ſeditio. Arcades in unum corpus redacti. Ageſipolis Lacedæm. rex moritur uno anno completo. Succedit Cleomenes annis 34. Diod. xv.	iii	384	379
4345 5 13 BA	3615	369	Trib. *mil.* vi. *Archon Lyſiſtratus.* Diod. Polydorus Pheræorum tyrannus ab Alexandro fratre ſublatus, qui regnat poſt illum annis xi. Lacedæmonii ab Arcadibus victi. Thebani in Laconicam excurrunt, & Spartam obſident. Lacedæmonii Athenienſium auxilium implorant. Epaminondas Meſſanam inſtaurat. Rurſus idem in Laconicam irruit, & Lacedæmoniis, atque Athenienſibus, qui aditum prohibebant, perruptis, in interiora penetrat. Euphron Sicyonis tyrannidem invadit. Diod. xv. Amyntas Macedonum rex moritur, relictis liberis iv, Alexandro, Ptolemæo, Perdicca, Philippo. Succedit Alexander anno i. Cum hoc Pelopidas Thebanus ſocietatem iniit. Diod.	iv	385	380 Nov. 23.
4346 6 14 G	3616	368	*Archon Nauſigenes.* Diod. Trib. militum nulli. ſed Dictator Camillus, paullò pòſt ſe abdicat. Itaque videtur interregnum fuiſſe. Ptolemæus Alorites occiſo Alexandro regnat annis iv. Euſeb. & Dexippus. Pelopidas cum Iſmenia captus ab Alexandro Pheræo. à quo & Thebani victi. In hac calamitate qui in acie privatus erat Epaminondas dux eſt à Bœotarchis electus, & exercitum ſervat. Lacedæmonii incruentam de Arcadibus victoriam reportant, cæſis Arcadum xm, nullo ſuorum deſiderato. Poſt hanc cladem Arcades Megalopolim condunt. Dionyſius in Pœnos bellum movet. Inde cum Lenæis ludis victorem ſe ab Athenienſibus pronunciatum audiſſet, crapulæ ſe dedens moritur, cùm regnaſſet annos xxxviii. Diod. xv. Ariſtoteles natus annos xvii. audire Platonem cœpit, eíque annos xx. operam dedit.	Olymp. 103	386	381
4347 7 15 F	3617	367	Trib. *milit.* vi. *Archon Polyzelus.* Camillus Dictator v. Gallos in Albano agro cecidit. Ingenti ſeditione pervicit plebs, ut Conſul alter è plebe fieret, permiſſúſque nobilitati Prætor unus, qui jus in Urbe diceret. Ædiles quoque curules creati. Liv. vi. Epaminondas in Peloponneſum excurrit. Pelopidas à Thebanis recipitur. Chares dux Athen. Phliaſios ab Achæis obſeſſos liberat. Diod. xv.	ii	387	382
4348 8 16 E	3618	366	Coss. *L. Sextius.* *L. Æmilius Mamercus.* *Archon Cephiſodorus.* Diod. xv. Sextius è plebe primus Conſul. Liv. vii. Bœoticum bellum poſt annos v. à Leuctrico deſiit, Perſarum rege conciliatore. Diod. xv. Hoc anno mortuo Artaxerxe Mnemone regnat Ochus annis xxvi. ſecundùm Euſebium.	iii	388	383
4349 9 17 DC	3619	365	*L. Genucius.* *Q. Servilius.* *Archon Chion.* Diod. Camillus moritur. Liv. vii. Arcades ope Athenienſium Eleos vincunt. Diod. xv. Perdiccas xxi. Maced. rex occiſo Ptolemæo Alorite regnat annis vi. Dexippus.	iv	389	384 Nov. 22.
4350 10 18 B	3620	364	*C. Sulpicius Peticus.* *C. Licinius Stolo.* *Archon Timocrates.* Diod. Hanc Olympiadem Piſatæ excluſis Eleis adminiſtrarunt. Ideo Elei hanc expungunt è numero, & ἀναλυμπιάδα nominant. Epaminondas auctor eſt ſuis, ut maris imperium capeſſant. Pelopidas cum Theſſalis adverſus Alexandrum Pheræum pugnans in acie victor occubuit. Alexander ceteras urbes relinquere, ac Pheris contentus eſſe cogitur. Diod. xv. Clearchus Heracleæ tyrannidem obtinet annis xii. Chion ad Matridem meminit.	Olymp. 104	390	385

Per. Jul. * ☉ | Mundi. | Ante Chr. | Olymp. | Urbis cond. | Æra Nab.

Timotheus Toronen, & Potidæam capit. Cyzicenos obſidione liberat. Diod. xv.

4351 · 11 19 · A | 3621 | 363 | II | 391 | 386

C. Genucius. *Archon Chariclides.*
L. Æmilius Mamercus. Diod.

Arcendæ peſtilentiæ cauſa Dictator clavo pangendo creatus L. Manlius Imperioſus. Liv. VII.

Seditio inter Arcades fuit; aliis pacem cum Elidenſibus facere ſtudentibus; Mantineenſibus verò recuſantibus. Illi Thebanos in auxilium vocant; hi Athenienſes, & Lacedæmonios.

Epaminondas Spartam abſente Agide occupare volens ab Ageſilao repellitur. Mantinea quoque Athenienſes illum arcent. Pugna ad Mantineam cum Lacedæmoniis, & Arcadibus, in qua vicere Thebani; ſed Epaminondas ex vulnere obiit. Diod. xv. Xenoph. lib. 7. Ἑλλ. qui hîc deſiit.

4352 · 12 1 · G | 3622 | 362 | III | 392 | 387

Q. Servilius Ahala. *Archon Molio.*
L. Genucius. Diod.

L. Manlius filium ſuum T. Manlium rus ablegarat. M. Pomponius Trib. Pl. diem L. Manlio dixit. T. Manlius Romam ad Trib. Pl. veniens ſtricto pugione cogit ad ejurandam accuſationem. quæ res ei favorem auxit in plebem. Eodem anno M. Curtius armatus in voraginem deſilit. Bellum inde cum Hernicis; quo plebeius Conſul Genucius occiditur cum exercitu. Appius Dictator creatus. Fugantur Hernici. Livius VII.

Aſiæ Satrapæ à rege deficiunt, & Tachos Ægypti rex adjunctis Lacedæmoniis. Sed Orontes Myſiæ Satrapa illos prodidit.

Ageſilaus Tachonis pedeſtribus copiis præfectus, Chabrias navalibus. Nectenebos Tachonis F. à patre defecit. qui ad Perſarum regem accedens veniam impetrat.

Ageſilaus cum Tachone obſeſſus eruptione facta hoſtes ſuperat. Rediens per Cyrenaicam, ibi moritur.

Diodorus hoc anno Artaxerxem Mnemonem obiiſſe refert: cui & annos imputat XLIII. At Euſebius, & alii XL. Vide caput XXX. lib. X. Nec diffitendum eſt hanc probabilem eſſe ſententiam: ſecundùm quam Ochus regnavit annos XXIII. qui hoc anno cœpit. Diod. xv.

4353 · 13 2 · FE | 3623 | 361 | IV | 393 | 388 Nov. 21

C. Sulpitius II. *Archon Nicophemus.*
C. Licinius. Diod.

Tiburtibus bellum indictum. Cum Gallis quoque pugnatum.

Quo in prælio T. Manlius Imperioſi F. Gallo in ponte ad Anienem cæſo torquem detraxit, indéque Torquati cognomen habuit. Galli in Tiburtem agrum: inde in Campaniam fugiunt. Liv. VII.

Alexander Pheræus Cycladas populatur: Athenienſes vincit. Diod. xv. [Democritus hoc anno moritur. Diogen.]

4354 · 14 3 · D | 3624 | 360 | Olymp. 105 | 394 | 389

C. Pœtelius Balbus. *Archon Callimedes.*
M. Fabius Ambuſtus. Diod. XVI.

Dictator Gallici tumultus cauſa Q. Servilius Ahala. Pugnatum haud procul porta Collina totis viribus. Magna utrimque cæde editâ avertitur acies Gallorum. Pœtelius Tiburtes fugat. Ob id triumphat. Liv. VII. Polyb. lib. 2. pag. 106. ſcribit anno XXX. ab Urbe capta Gallos ad Albam caſtra poſuiſſe, neque Romanos, quod imparati eſſent, obviam auſos progredi.

4355 · 15 4 · C | 3625 | 359 | II | 395 | 390

M. Popilius Lænas. *Archon Euchariſtus.*
Cn. Manlius Imperioſus. Dion.

Tiburtes primo noctis ſilentio Urbem aggreſſi repelluntur. Liv. VII.

Perdiccas ab Illyriis occiditur. Philippus ejus frater Amyntæ F. ſuccedit annis XXIV. Athenienſes vincit ad Methonen.

Ab hoc anno Theopompus libros LVIII. de Philippo exorſus eſt. Philippus pace deinde cum Athenienſibus inita, & Amphipoli reddita Pæones ſibi ſubjicit: Illyricos vincit.

Dionyſius junior pace conſtituta, otio ſe tradit. Duas in Apulia urbes condidit. Diod. XVI.

Ochus ex Ægypto ingentem Judæorum multitudinem in Hyrcaniam tranſtulit. Euſeb.

Xenophon obiit Corinthi Callidemide Archonte, & Philippo Amyntæ F. regnante. Steſicles apud Diog. in Xenophonte.

4356 · 16 5 · B | 3626 | 358 | III | 396 | 391

C. Fabius. *Archon Cephiſodotus.*
C. Plautius. Diod.

Tarquinienſibus bellum indicitur. Contra Gallos Dictator creatus C. Sulpitius, qui ingenti acie illos ſuperat, ac triumphat. Hernici à Plautio victi. Fabius incautè pugnans à Tarquinienſibus vincitur. CCCVII. milites ab hoſtibus immolati. Lex Petilia de ambitu à Petilio Trib. pl. lata. Duæ tribus additæ, Promptina & Publicia. Liv. VII.

Dio Hipparini filius Corinthios contra Dionyſium ſolicitat, & vires comparat ad opprimendam tyrannidem. Andromachus Timæi Hiſtorici pater Tauromenium in Tauro monte, qui Naxo imminet, in Sicilia condidit.

Byzantii, Rhodii, Coi, Chii cum Mauſolo Cariæ principe contra Athenienſes ſocietatem ineunt. Chabrias in pugna cæſus. Hoc bellum Sociale dictum.

Philippus Amphipolim capit; Pydnam, & Potidæam Olynthiis attribuit. Crenidas urbem Philippos vocat: ubi & aurifodinas excolit; ex quibus M. talenta colligit annua. Diod. XVI.

Democritus Philoſophus moritur anno ætatis CIX. Diog. Laërt.

M. Marcius.

Per. Jul. * ☉ | Mundi. | Ante Chr. | Olymp. | Urbis cond. | Æra Nab.

4357 · 17 6 · AG | 3627 | 357 | IV | 397 | 392 Nov. 20

M. Marcius. *Archon Agathocles.*
Cn. Manlius. Diod.

Faliſcis indictum bellum. Privernates à Marcio victi. Urbs in deditionem accepta. Liv. VII.

Dio duabus onerariis inſtructus in Siciliam navigat, & Dionyſium dejicit; qui longas naves CCCC. peditum CM. equitum XM. habebat. Aberat Dionyſius cùm appulit Dio. Veniens à Syracuſanis vincitur: & pacem à Dione fruſtrà petit. Diod. Alexander Pheræus ab uxore Thisbe necatur à duobus adjuta fratribus, Lycophrone, & Tiſiphono: qui tyrannidem invadentes à Philippo poſtea pulſi ſunt. quæ res ei Theſſalos conciliavit. Diod. XVI.

Hoc anno Agathocle Archonte Delphicum templum à Phocenſibus occupatum refert Pauſanias Phocicis pag. 318. Diodorus poſt biennium Lib. XVI.

4358 · 18 7 · F | 3628 | 356 | Olymp. 106 | 398 | 393

M. Fabius Ambuſtus II. *Archon Elpinus.*
M. Popilius Lænas. Diod.

Faliſci & Tarquinienſes cùm ad terrorem ſacerdotes omnibus cum Faliſcis cum facibus & anguibus præmiſiſſent, à Fabio fuſi. Hetruſcis cum Faliſcis conſpirantibus Dictator creatus eſt C. Marcius Rutilius primus è plebe. Cæſis hoſtibus triumphavit ſine Patrum auctoritate. Liv. VII.

Promiſcua multitudo in Lucania Bruttiorum nomine regionem occupat, quæ Bruttia dicta.

Philiſtus Dionyſii dux Syracuſis pellitur. móxque à Syracuſanis navali prælio victus ſemetipſum interficit. Dionyſius variis tentatis conditionibus arcem dedere vult, ſi cum mercenariis, & opibus ſuis in Italiam trajicere liceat. Syracuſani contra Dionis voluntatem detrectant. Ideo præſidio in arce relicto in Italiam navigat. Syracuſani contra Dionem & mercenarios pugnantes vincuntur. Dionyſiani eruptione facta oppidanos infeſtant. Ideo revocatus Dio maturè ſubvenit.

In Græcia ſociale bellum flagrat. Athenienſium duces erant tres, Chares, Timotheus, Iphicrates. Chares collegas inſimulat: qui in ordinem redacti. Idem Pharnabazum à Perſa rege deficientem adjuvat, cum eóque illius vincit exercitum. Sed expoſtulante cum Athenienſibus Perſarum rege, veriti illi ſociale bellum quarto, quàm initum fuerat, anno terminant.

Philippus reges tres, Thraciæ, Pæonum, Illyriorum ſibi ſubjugat.

Natus eſt Alexander M. Hecatombæonis VI. qua die templum Dianæ conflagravit. Plut. Alexandro.

4359 · 19 8 · E | 3629 | 355 | II | 399 | 394

C. Sulpitius Peticus III. *Archon Calliſtratus.*
M. Valerius Poplicola. Diod.

Livius hunc annum ab Urbe condita CCCC. vocat, & XXXV. poſtquam Urbs è Gallis erepta. lib. VII.

Bellum ſacrum hoc anno Diodorus inchoat. quod inde originem habuit. Amphictyones, Lacedæmonios, & Phocenſes mulctaverant: illos, quod Cadmeam invaſiſſent: hos verò quòd agri ſacri nonnihil occuparent. Philomelus Phocenſibus ſuis perſuadet, ut Delphicum templum invadant, ac diripiant. Primo congreſſu Locros fundit. Athenienſes, & Lacedæmonios adjungit ſibi. Diod. XVI.

4360 · 20 9 · D | 3630 | 354 | III | 400 | 395

M. Fabius Ambuſtus III. *Archon Diotimus.*
T. Quintius. Diod.

Ambo Coſſ. patricii, nequicquam renitente plebe.

Tiburtes in deditionem accepti. In Tarquinienſes ſævitum.

Fœdus cum Samnitibus primò percuſſum. Liv. VII.

Phocenſes à Thebanis, & Locris ſuperantur. Philomelus ſeſe præcipitat. Diod. XVI. & Pauſan. Phoc.

Dio à Zacynthiis mercenariis jugulatur. Succedit Calippus unus ex conjuratis, & XIII. menſibus præeſt. Diod. XVI. Plut.

4361 · 21 10 · CB | 3631 | 353 | IV | 401 | 396 Nov. 19

C. Sulpitius Peticus IV. *Archon Eudemus.*
M. Valerius Poplicola II. Diod.

Dictator T. Manlius L. F. contra Cærites & Tarquinienſes: Cærites inducias in C. annos impetrant. Liv. VII.

Onomarchus Phocenſium dux contra Thebanos ſtrenuè rem gerit. Is à militibus occiſus. Succedit Phayllus ejus frater. Pauſan. Diod. Mauſolus Cariæ regulus poſt XXIV. annos moritur. Succedit Artemiſia biennio.

Cherſobleptes Thraciæ rex Cherroneſum Athenienſibus permittit.

Clearchus Heracleæ tyrannus occiditur, cùm regnaſſet annis XII. Occiſus eſt à Chione Platonis diſcipulo.

Hipparinus Dionyſii junioris F. tyrannidem recuperat, & biennio tenet. Diodorus XVI.

4362 · 22 11 · A | 3632 | 352 | Olymp. 107 | 402 | 397

P. Valerius Poplicola. *Archon Ariſtodemus.*
C. Marcius Rutilius. Diod.

Dictator C. Julius ob terrorem Hetruſci belli. Liv. VII.

Phayllus Phocenſium dux vincitur. Philippus Pheras tyrannide liberat.

Lacedæmonii Megalopolitanos ſuperant. Diod. XVI.

4363 · 23 12 · G | 3633 | 351 | II | 403 | 398

C. Sulpitius Peticus V. *Archon Theſſalus.*
T. Quintius Pœnus.

Attriti Faliſci, & Tarquinienſes inducias in XL. annos impetrant. Liv. VII.

Thebani à Perſarum rege ſublevantur. Artaxerxes Ochus contra Phœnicas rebelles, & Cyprios exercitum mittit: mandátque negotium Idrieo Cariæ principi, adjuncto Phocione Athenienſi, & Evagora, quem è Cy-

pro

Per. Jul. ✳ ☉ | Mundi. | Ante Chr. || Olymp. | Urbis cond. | Æra Nab.

pro in aliam Satrapiam tranſtulerat. Erant in Cypro IX. reguli, quot oppida præcipua. quos tum Perſæ oppugnabant. Tennes Sidoniorum rex à Perſa deficiens mercenarios Græcos à Nectanebone Ægypti rege accipit, quibus præerat Mentor Rhodius. Sed mox Perſarum potentiam veritus cum rege tranſigit. ac poſteà interficitur. Sidonii igitur miſeranda ſtrage cæſi ſunt, cùm ſe, ſuóſque cum Urbe ſuccendiſſent. Diod. XVI.

Leptines, & Calippus Syracuſanorum duces Rhegium, dejecto præſidio, quod Dionyſius impoſuerat, libertati reſtituunt. Id.

4364 24 13 F | 3634 | 350 || III | 404 | 399

M. Popilius Lænas. *Archon Apollodorus.*
L. Cornelius Scipio. Diod.

Popilius ægrotante collega Gallos inſigni prælio vincit. Liv. VII.

Protagoras Salaminis rex Perſarum ſe regi ſubdit. Evagoras aliam in Satrapiam tranſlatus occiditur. Ochus Ægyptum, Græcis, maximè Thebanis, opitulantibus recipit. Nectanebos in Æthiopiam fugit. Mentor ſtrenuam Perſarum regi operam navat. Diod. XVI.

4365 25 14 ED | 3635 | 349 || IV | 405 | 400 Nov. 18

L. Furius Camillus. *Archon Callimachus.*
Ap. Claudius Craſſus. Diod.

Oram maritimam Italiæ Græci infeſtam habent. Latini deficiunt. Ideo legiones x. civium ſcriptæ. Camillus Gallos profligat. M. Valerius Trib. militum natus annos XXIII. Gallum provocantem Corvi auxilio vincit. Inde Corvini partum cognomen. Hic videtur annus ille XII. ab excurſione ſecunda Gallorum, quando à Romanis fugatos eſſe ſcribit Poly. II, 106. Liv. VII.

Mentor ab Ocho muneribus affectus, & oræ Aſiaticæ præfectus, urbes, quæ defecerant, regi ſubdidit: Artabazum & Memnonem regi reconciliat. Philippus Macedo Chalcidicas urbes occupat.

In Ponto Spartacus rex moritur, cùm regnaſſet annis v. Succedit Paryſades annis XXXVIII. Diod. XVI.

4366 26 15 C | 3636 | 348 || Olymp. 108 | 406 | 401

M. Popilius Lænas. *Archon Theophilus.*
M. Valerius Corvinus. Diod.

Valerius annos natus XXIII. Conſul factus eſt. Cum Carthaginienſibus fœdus iteratum. Liv. VII.

Philippus Helleſponti urbes ſibi ſubjicit: tùm Olynthum dolo, & corruptela. Ludos Olympicos indicit, quibus multos ſibi conciliat.

Satyrus hiſtrio captivas ab illo virgines duas impetrat: Diod. XVI.

Plato moritur natus annos LXXXI. Speuſippus ei ſuccedit. Diogenes Laërt.

Hoc anno, ſacro, ſive Phocenſi bello finis impoſitus, everſis Phocenſium urbibus à Philippo. (Pauſ. Phoc. pag. 318.) anno decimo quàm initum erat.

4367 27 16 B | 3637 | 347 || II | 407 | 402

T. Manlius Torquatus. *Archon Themiſtocles.*
C. Plautius II. Diod.

Diodorus, qui biennio tardiùs ſacri belli initium collocat, ait Phocenſes hoc anno cum Thebanis proſperè pugnaſſe. hos verò Philippi opem imploraſſe. Dionyſius Syracuſas recuperat decimo quàm ejectus erat anno. Diod. XVI.

4368 28 17 A | 3638 | 346 || III | 408 | 403

M. Valerius Corvinus. *Archon Archias.*
C. Petilius. Diod.

Diodorus ait hoc anno terminatum eſſe bellum ſacrum Phalæco mortuo. Amphictyonum conſeſſus particeps fit Philippus, & gemini ſuffragii jure donatus, quod Phocenſes habuerant. Phocenſium urbes ſolo proſtratæ, & per vicos incolæ diviſi. Sacrilegi omnes miſerrimè perierunt.

Syracuſii à Corinthiis ducem impetrant Timoleontem, qui Timophanem fratrem tyrannidem molientem interfecerat. Diod. XVI.

4369 1 18 GF | 3639 | 345 || IV | 409 | 404 Nov. 17

M. Fabius Dorſuo. *Archon Eubulus.*
Sex. Sulpitius Camerinus. Diod.

Adverſus Auruncos Dictator fit L. Furius: qui templum Junoni Monetæ vovet. Vincuntur Aurunci. Liv. VII.

Timoleon in Siciliam navigat, Cathaginienſibus fruſtrà prohibentibus. Syracuſarum arcem Dionyſius: urbem Hicetas obtinebat. Pœni bellum in Sicilia movent. Diod. XVI.

4370 2 19 E | 3640 | 344 || Olymp. 109 | 410 | 405

C. Marcius Rutilius II. *Archon Lyciſcus.*
T. Manlius Torquatus II. Diod.

Timoleon in anguſtias redactus tandem erigitur. Philippus Illyrios vaſtat. Diodorus XVI. qui & hoc anno primùm refert Pœnos cum Romanis fœdus iniſſe. Perperam id quidem.

4371 3 1 D | 3641 | 343 || II | 411 | 406

M. Valerius Corvinus III. *Archon Pythodorus.*
A. Cornelius Coſſus. Diod.

Samnitibus Sidicinos aggredientibus, cùm hi ad Campanos confugiſſent, victi Campani Romanis ſeſe dediderunt. Itaque ſuſceptum à Romanis Samniticum bellum. Valerius Samnites ingenti prælio cecidit ad Gaurum montem. At Cornelius ad Satriculam caſtris poſitis penè oppreſſus eſt, cùm ſe in anguſtias conjeciſſet. P. Decius Trib. mil. excelſum collem capiens hoſtes avertit, & ipſe noctu cum ſuis evaſit. Victi poſtea ſæpiùs Samnites. Pœni coronam auream Capitolio conſecrant. Triumphant ambo Coſſ. Capuani præſidia à Romanis poſtulant. Milites hibernantes de occupanda Capua cogitant. Liv. VII.

Timoleon Syracuſas tyrannide liberat. Dionyſium Corinthum mittit, Democratiam conſtituit, & Amphipolos Jovis Olympii ἐπωνύμους ἄρχοντας facit, qui ſupra CCC. annos ad Diodori tempora perſeverarunt. Philippus Thraciam ſibi tributariam reddit. Diod. XVI.

C. Marcius.

Per. Jul. ✳ ☉ | Mundi. | Ante Chr. || Olymp. | Urbis cond. | Æra Nab.

4372 4 2 C | 3642 | 342 || III | 412 | 407

C. Marcius. *Archon Soſigenes.*
Q. Servilius. Diod.

Relicto in Urbe Servilio, Marcius in Campaniam profectus ſeditioſos omnes milites variis occaſionibus remittit. Illi cognita re conjurant, & T. Quintium ducem eligunt. Creatus Dictator M. Valerius, per quem placata ſeditio. Livius VII.

Arymba Moloſſorum rege poſt annum decimum regni mortuo, ſuccedit Alexander Olympiadis Philippi conjugis frater, excluſo Æacida Arymbæ filio, patre Pyrrhi. Timoleon Hicetam, & Leptinem devicit. Carthaginienſes ingenti apparatu bellum adorti. Diod. XVI.

Menander Comicus naſcitur. Vetus inſcriptio Romæ.

4373 5 3 BA | 3643 | 341 || IV | 413 | 408 Nov. 16

C. Plautius II. *Archon Nicomachus.*
L. Æmilius Mamercus. Diod.

Cum Volſcis proſperè pugnat Plautius. ab altero victi Samnites fœdus obtinent, & poteſtatem cum Sidicinis bellandi. quos ſeſe dedentes Romani reſpuunt. Itaque Latinis ſe dedunt. Qui cum Campanis in ſpeciem contra Samnites: revera contra Romanos bellum parant. Ideo ante tempus Coſſ. ſe abdicant. Interreges facti. Liv. VII.

Pexodorus in Caria, Ada ſorore regno depulſa, annis v. regnat, aduſque Alexandri expeditionem in Aſiam, ait Diodorus. Legendum annis ſeptem. Nam expeditio Alexandri contigit anno 4380.

Philippus Perinthum ſumma vi obſidet: mox Byzantium. Ephorus hîc hiſtoriam deſiit, quam ab Heraclidarum reditu libris XXX. complexus eſt, annos DCCL. continentem: imò verò DCCLXII. ex noſtra Chronologia. Diyllus Athenienſis ſecundi operis initium inde ſumpſit, ubi Ephorus deſiit, & ad obitum Philippi pertexuit. Diodorus XVI.

Epicurus hoc anno naſcitur Gamelionis εἰκάδι, id eſt Januarii XXI. circiter: ſed Soſigene Archonte, ait Diog. Laërt. Cometa hoc anno apparuit. Ariſtot. I. Meteor. cap. VII.

4374 6 4 G | 3644 | 340 || Olymp. 110 | 414 | 409

T. Manlius Torquatus. *Archon Theophraſtus.*
P. Decius Mus. Diod.

Cum Latinis pugnatum. Manlius filium, cùm injuſſu ſuo provocatus ſingulari certamine hoſtem viciſſet, ſecuri percuſſit. P. Decius ſe pro exercitu devovet. Victi Latini deditionem faciunt: ut & Campani. Liv. VIII.

Athenienſes violatum fœdus à Philippo queſti Byzantiis auxilia ſubmittunt. Idem & Chii, Coi, Rhodii, aliíque præſtant. Territus Philippus pacem facit.

Carthaginienſes in Sicilia peditum habentes LXXM. curruum x. à Timoleonte victi. Ingens ideo Carthagine trepidatio. Diod. XVI. Contigit hoc Thargelionis VII. hoc Maii XII. Vide lib. x. cap. XXIII.

Ochus hoc anno moritur. Succedit Arſes annis IV. Lib. x. cap. XXIX.

Anaxarchus hoc tempore inſignis habetur. Diog.

4375 7 5 F | 3645 | 339 || II | 415 | 410

T. Æmilius Mamercus. *Archon Lyſimachides.*
Q. Publius Philo. Diod.

Coſſ. Latinos rebellantes fuderunt. quos in deditionem Philo recipit, & triumphat. Æmilius Pedi oppugnatione relictâ, triumphum & ipſe poſtulat: nec impetrato Patres ſeditioſis actionibus turbat. Dictatorem dicere juſſus contra Latinos, collegam creat. Is leges plebi ſecundiſſimas, Patribus ingratas tulit. Liv. VIII.

Timoleon mercenarios, qui defecerant, Sicilia pellit: tyrannides tollit. Inſulam optimo in ſtatu collocat. Diod. XVI.

Speuſippus obiit. cui Xenocrates ſuccedit. Diog. Laërt.

4376 8 6 E | 3646 | 338 || III | 416 | 411

L. Furius Camillus. *Archon Charondas.*
C. Mænius. Diod.

Latini penitus devicti: quorum aliis civitas data; alii mulctati. Coſſ. ambo triumpharunt. Ex Antiatum navibus roſtra facta. Coſſ. ſtatuæ in foro poſitæ. Liv. VIII. Plin. lib. XXXIV. cap. v.

Philippus adverſus Athenienſes & Bœotos ad Chæroneam pugnat, & vincit. Elatus victoria à Demade reprimitur: & cum Athenienſibus pacem, & ſocietatem facit. Alexander in eo conflictu ſtrenuè ſe gerit. Ex Athenienſium ducibus Charete, & Lyſicle, prior morte damnatus accuſante Lycurgo. Archidamus Lacedæm. rex in Italiam profectus ut Tarentinis opem ferret, moritur anno regni XXIII. Agis poſt hunc annis IX. regnat. Diod. XVI. Vide lib. x. cap. XXXVI.

4377 9 7 C | 3647 | 337 || IV | 417 | 412 Nov. 15

C. Sulpicius Longus. *Archon Phrynichus.*
P. Ælius Pætus. Diod.

Minucia Veſtalis defoſſa. Livius VIII.

Philippus à Græcis omnibus dux belli contra Perſas eligitur. Timoleon obiit, cùm annis VIII. Syracuſis præfuiſſet. Diod. XVI.

4378 10 8 B | 3648 | 336 || Olymp. 111 | 418 | 413

L. Papirius Craſſus. *Archon Pythodorus.*
Cæſo Duilius. Diod.

Auſones, qui Cales incolebant, cum Sidicinis victi. Livius VIII.

Philippus Macedo inter ludos in urbe Macedoniæ Ægis à Pauſania occiſus eſt, cùm regnaſſet annis XXIV.

Darius Arſami F. poſtremus rex Perſarum imperavit annis VI. Erat hic Darii Nothi pronepos.

Alexander M. hoc anno cœpit: & regnavit annis XII. qui paternæ necis conſcios ultus eſt. Diod. XVI.

4379 11 9 A | 3649 | 335 || II | 419 | 414

M. Valerius Corvinus IV. *Archon Evænetus.*
N. Attilius Regulus. Diod. XVII.

Per. Jul. * ☉ | Mundi. | Ante Chr. — Olymp. | Urbis cond. | Æra Nab.

Sidicini à Valerio victi. Cales captæ. Liv. VIII.

Alexander Attalum fratrem Cleopatræ, quam Olympiadi primæ conjugi ſecundam adjunxerat Philippus, tollit è medio. Græci interim res novas moliuntur. Alexander in Bœotiam contendit. Ibi Athenienſium legatis benignè reſpondet, quos inter Demoſthenes erat. Conventus Græcorum ad Corinthum habitus; in quo Græcorum adverſus Perſas Imperator decernitur Alexander.

Regnabat in Perſide Darius Codomannus. Is Bagoam Eunuchum, à quo interfectus erat Ochus, & Arſes ad regnum evectus; eòque deinde ſublato, Darius ipſe ſubſtitutus; venenum potare juſſit, quod ſibi ille paraverat. Idem ætate Alexandri ſpreta per Memnonem Aſiam infeſtat. Huic oppoſitus Parmenio. Alexander in Thracia bellum gerens, audita Thebanorum defectione celer advolat. Finis belli Thebarum excidium fuit. Contigit ea clades circa Myſteria, id eſt Boëdromionis circiter XV. die, quæ in Octobris IV. diem incurrit. Secundùm hæc oratores decem ab Athenienſibus dedi ſibi poſtulans Alexander à Demade placatur. Tum Dii in Macedonia de bello conſultat; & in honorem totidem Muſarum novem diebus ludos celebrat. Diodorus XVII. Vide lib. X. cap. XXXVII.

Galli Ciſalpini cum Romanis fœdus ineunt. Polyb. II. pag. 107.

4380 12 10 G | 3650 | 334 — III | 420 | 415

T. Veturius. *Archon Cteſicles.*
Sp. Poſtumius. Diod.

Cales colonia deducta. Samnium turbare cœpit. Livius VIII.

Alexander in Aſiam per Helleſpontum tranſportat exercitum. Erant XXXM. peditum, equitum IVM & D. Cum Antipatro in Europa relicta peditum XIIM. equitum XIM. & D. Dario Memnon auctor erat, ut vaſtata Aſia commeatu prohiberet hoſtem. Non probavit conſilium. Primus Darii conflictus ad Granicum amnem in Phrygia majore. Victi Perſæ. Sardes à Mithrine Alexandro proditæ. Miletus capta, & Halicarnaſſus. Tum Aſiæ ora omnia ſubacta. Diod. XVIII.

4381 13 11 FE | 3651 | 333 — IV | 421 | 416 Nov. 14

Archon Nicocrates. Diod.

Annus iſte Romæ nullos Coſſ. habuit: ut probat Sigonius.

Memnon, ut in Europam vim belli transferret, Cycladas populatur. Sed in ea expeditione moritur. Darius de bello deliberans Charidemum Athenienſem liberiùs loquentem interficit. Curtius lib. III. Peditum conſcripta CCCCM. equitum C.

Alexander periculoſum in morbum incidit; atque à Philippo medico ſanatur. Pugnatum eſt ad Iſſum Ciliciæ. Victus Darius: cujus mater, uxor, liberi in victoris poteſtatem venerunt. Diod. XVII.

Memnon apud Photium pag. 376. ſcribit hoc tempore legatos Romam ab Alexandro miſſos, cum mandatis, ἢ κρατεῖν, ἐὰν ἄρχειν δύνωνται, ἢ τοῖς κρείττοσιν ὑπείκειν. *aut imperarent, ſi id poſſent; aut melioribus cederent:* at illos coronam ad ipſum auream miſiſſe. Sed hæc fabula mera.

4382 14 12 D | 3652 | 332 — Olymp. 112 | 422 | 417

L. Cornelius I. *Archon Niceratus.*
Cn. Domitius. Diod.

Ob Gallicum tumultum Dictator factus M. Papirius Craſſus. Samnites cum Lucanis contra Alexandrum Epiri regem præliantur. Victor rex cum Romanis fœdus icit. Tribus additæ Metia, & Scaptia. Liv. VIII.

Alexander per Phœniciam in Ægyptum properat. Tyrum obſidet, & ægrè poſt VII. menſes potitur. Rex Tyriis ab Hephæſtione datus Ballonymus. Agis Lacedæmoniorum rex Dario favens Cretam illi ſubjicit. Amyntas exul Macedo in Ægypto bellum apparans interficitur. Græci coronam auream Alexandro mittunt. Is Gazam capit. Diod. XVII. Curtius. Arrianus.

Hoc tempore Jaddua Pontifex Hieroſolymis Alexandrum excipit. qui ubi ſacrificavit, Andromachum præfectum reliquit. Hunc poſtea Samaritani trucidarunt. Sed Alexander ex Ægypto reverſus necem illius ulciſcitur; & Samariæ Macedones conſtituit. Euſeb. in Chron.

4383 15 13 C | 3653 | 331 — II | 423 | 418

M. Claudius Marcellus. *Archon Ariſtophanes.*
C. Valerius. Diod.

Fœdus hic annus veneficiis fuit. Damnatæ CLXX. matronæ, indice ancilla. Liv. VIII.

Alexander Amyntam in Macedoniam ad conſcribendum militem mittit. Ammonem adit. Alexandriam urbem exſtruit. Darius pacem fruſtra petit, cujus uxor hoc anno mortua. Diodorus XVII. Curtius.

Eclipſis Lunæ Septembris XX. feria II. ſequente III. hora 22, 11′. Arbelis; quando tota defecit, undecim diebus ante pugnam ad Arbela. quæ Octobris Kalend. accidit. Victus omninò Darius ægrè ipſe ſervatus eſt. Vide lib. X. cap. XXXVIII.

4384 16 14 B | 3654 | 330 — III | 424 | 419

L. Papirius Craſſus. *Archon Ariſtophon.*
L. Plautius Venno. Diod.

Privernas bellum ortum duce Vitruvio Vacco Fundano: cujus ædes dirutæ Vacci prata vocata. Carceres hoc anno in Circo additi. Liv. VIII.

In Græcia novi tumultus ab Antipatro compreſſi. Memnon Thraciæ dux rebellat. Pacatâ Thraciâ, Antipater contra Græcos, ac præſertim Lacedæmonios pugnat, & victoriam reportat. Alexander Suſianam occupat, & in Darii throno conſidet. In Perſidem deinde tranſit, ac Perſepolin diripit. Regia Perſarum incenſa. Darius Alexandrum perſequentem fugiens à Beſſo nefariè perimitur. Diod. XVII. Curtius. Plut.

Iſocrates CVI. annos natus obiit ſecundùm Suidam. At Halicar. & Plut. ante IX. annos mortuum putant.

Hoc anno cœpit Calippi Periodus, Junii XXIX. Vide lib. X. cap. XXXIX.

L. Æmilius

Per. Jul. * ☉ | Mundi. | Ante Chr. — Olymp. | Urbis cond. | Æra Nab.

4385 17 15 AG | 3655 | 329 — IV | 425 | 420 Nov. 13.

L. Æmilius Mamercus. *Archon Cephiſophon.*
Cn. Plautius. Diod.

Beſſus regem ſe facit, & Bactrianos concitat. Alexander in Hyrcaniam movet. Oppida omnia ad Caſpium uſque mare in poteſtatem accipit. Græci auxiliares Darii Alexandro ſe dedunt. Is in Perſicos ritus, luxúmque degenerat. Dimnus contra regem cum Nicomacho conſpirat. Cebalinus rem ad Philotam defert. quo cunctante per alium id regi ſignificatum. Ideo Philotas ipſe, tùm Parmenio cæſi. Arimaſpi, & Arachoſii ſubacti. Diod. XVII.

4386 18 16 F | 3656 | 328 — Olymp. 113 | 426 | 421

P. Plautius Proculus. *Archon Euthycritus.*
P. Cornelius Scapula. Diod.

Palæpolitani, ubi nunc Neapolis, bellum Romanis inferunt. Liv. VIII.

Alexander Paropamiſadas debellat. Inde Caucaſum tranſgreſſus Alexandriam ibi condidit. Beſſus regi deditus, & punitus. Aornus petra ægrè ab eodem expugnatur. Alexander Indum tranſmittit.

Cùm Olympiaci agones celebrarentur, reditus exulibus permiſſus, exceptis ſacrilegis, & homicidis. Diod. XVII.

4387 19 17 E | 3657 | 327 — II | 427 | 422

L. Cornelius Lentulus. *Archon Chremes.*
Q. Publilius Philo II. Diod.

Palæpolitanis indicitur bellum Imperatore Publio. Cornelius cum altero exercitu Samnitibus objectus. Legati ad Samnites miſſi ferox reſponſum reportant. Dictator creatus comitiorum causâ M. Claudius Marcellus. Sed vitio factus ſe abdicat. Actum cum Tribunis, ut cùm Publilius Conſulatu abiiſſet pro conſule rem gereret. Liv. lib. VIII.

Alexander Porum Indiæ regem devicit. Naves fabricari juſſit, quibus in Oceano navigaret. Urbes in India conſtituit. varióſque populos imperio adjicit. cùm ultra Indum ad Gangem penetrare vellet, milites adducere non potuit. Reverſus itaque cum Oxidtacis, aliiſque gentibus confligit. Diviſo exercitu, pars Nearcho tradita, quæ oram luſtraret. Calanus vivum ſe coram rege combuſſit. Harpalus Babyloniæ præfectus fugit in Græciam: & ab Antipatro repetitus cùm evaſiſſet, dolo perimitur. Diod. lib. XVII. Arria. lib. V.

4388 20 18 D | 3658 | 326 — III | 428 | 423

C. Pœtelius. *Archon Anticles.*
L. Papyrius Mugillanus. Diod.

Alexander Epiri rex frater Olympiadis matris Alexandri M. à Lucanis ad Acheruntem fluvium occiditur. Lectiſternium quintò poſt Urbem conditam inſtitutum. Bellum Samnitibus denunciatur. Lucani & Appuli in fidem Romanorum ſeſe committunt. In Samnio res proſperè geſta. Palæpolitani à Publilio Proconſule domiti. urbs dedita. Triumphavit primus pro conſule Publilius. Livius lib. VIII. Faſti Capit.

Tarentini Lucanos fraude ad defectionem impellunt. Nexus lege ſublatus. Liv. ib.

Alexander M. copias è Perſis ſupplet. In Mediam proficiſcitur, & Ecbatana: quæ urbs ambitum habebat ſtad. 250. Hephæſtion interim moritur ex crapula. Alexander ingenti luctu mortem illius proſequitur, & Babylonem deferendum amici corpus Perdiccæ mandat, ut ibi magnificentiſſimum illi funus inſtrueret.

Græcorum militum mercenariorum VIII M. ab Alexandro dimiſſa in Laconicam ad Tænarum appellunt, ibíque prædas agentes, Leoſthenem Athenienſem ducem deligunt. Alexander Coſſæos ne à Perſarum quidem regibus hactenus domitos imperio ſuo ſubjicit. Diod. XVII.

4389 21 19 CB | 3659 | 325 — IV | 429 | 424 Nov. 12.

L. Furius Camillus. *Archon Soſicles.*
Junius Brutus Scæva. Diod.

Veſtinis bellum indictum. Furio ægrotante, Dictator contra Samnites dictus eſt L. Papirius Curſor. qui Magiſtrum equitum elegit Q. Fabium Maximum Rutilianum. Papirius à pullario monitus, ut auſpicia domo repeteret, vetat abſente ſe Magiſtrum equitum pugnare. At ille ſecundo exitu prælium conſerit. Dictator reverſus cum morte in illum animadvertere vellet, conſenſu militum prohibitus eſt. Fabius Romam advolat. Eò fugientem Dictator aſſequitur. Sed deprecante populo Fabium abſolvit. Rediens ad exercitum comitate primùm offenſos milites placat. tum de Samnitibus victoriam reportat, ac triumphat. Livius VIII.

Alexander à Chaldæis Babylonem ingredi prohibetur. Sed Anaxarchus horum ut prædicta contemneret hortatur. Diog. XVII.

4390 22 1 A | 3660 | 324 — Olymp. 114 | 430 | 425

HIC *annus Coſſ. non habuit.* *Archon Hegeſias.* Diod. XVIII.

Papirii Dictaturam hunc in annum conjicit Sigonius.

Legatos ex omnibus penè orbis terrarum provinciis, adeóque Carthaginienſes excipit Alexander. tùm Hephæſtionis funus magnificentiſſimum inſtruit: in quod XII. talentorum millia conſumpta.

Moritur deinde cùm regnaſſet annos XII, menſes VII. Obiit Dæſii menſis XXVIII. die, ut ex Diariis Plutarchus & Arrianus referunt, quem Hecatombæoni tum Attico reſpondiſſe credimus. Itaque mortuus eſt Alexander Julii XIX. ſi quidem Olympici & Solſtitialis menſis Neomenia incurrit in XXII. Junii anno Per. Jul. 4390, Calippicæ periodi ſeptimo: ut ex lib. II, cap. XX. conſtat. Vide Lib. X. cap. XXXIV.

Siſygambis mater Darii audita Alexandri morte vitam inedia finiit. Diod. lib. XVIII. Arria. VII.

Moriens Alexander ſucceſſorem deſignare noluit: Perdiccæ tamen annulum dedit. Ideo ſumma penes illum poteſtas. Sed Macedones varias in partes diſtracti ſunt. Peditum phalanx Arrhidæum Philippi filium ex

Per. Jul. * ☉	Mundi.	Ante Chr.	Olymp.	Urbis cond.	Æra Nab.

Philinna Theſſala, animo parum valentem eligunt. At nobilitas omnis cum equitatu repugnare. Convênit tandem ut Arrhidæus rex eſſet, quem & Philippum nominari placuit. útque tutor ei Perdiccas daretur. tum ut Satrapiæ omnes & Præfecturæ in principes dividerentur, qui regio nomine illas adminiſtrarent. Ptolemæo Lagi F. Ægyptum dari placuit: Laomedonti Mitylenæo Syriam: Philotæ Ciliciam: Pithoni Mediam: Eumeni Paphlagoniam, & Cappadociam, ac finitimas regiones: Antigono Pamphyliam, Lyciam, & Phrygiam majorem: Caſſandro Cariam: Meleagro Lydiam: Leonnato Phrygiam minorem: Lyſimacho Thraciam: Antipatro Macedoniam: Aſiæ ſuperioris provinciæ iiſdem, qui tum præerant, præfectis permiſſæ. Seleucus ſociorum equitibus impoſitus: Craterus ab Alexandro miſſus erat in Ciliciam cum XM. exauctoratorum. Hæc Diod. lib. XVIII..

Ptolemæi Lagi F. primus annus hinc putari incipit; qui regnavit annos XL. Vide lib. X. cap. XLVIII.

Diogenes Cynicus eodem anno moritur, imo die, quò Alexander. Plut. 8. Symp. I.

Per. Jul.	Mundi.	Ante Chr.	Olymp.	Urbis cond.	Æra Nab.
4391 23 2 G	3661	323	II	431	416

C. Sulpicius Longus. *Archon Cephiſodorus.*
Q. Æmilius Caretanus. Diod.

Induciæ annuæ Samnitibus datæ. Liv. VIII.

Græci in Aſia ſuperiore ab Alexandro collocati deficiunt. Miſſus adverſus illos Pithon; cum mandatis, ut illis interfectis, eorum prædam in Macedonas divideret. quod & factum, invito Pithone.

In Europa Rhodii præſidium Macedonicum dejiciunt.

Alexander paullò ante mortem reſcriptum dederat, de exulibus reducendis, exceptis ſacrilegis. Id Olympico mercatu à præcone lectum pleriſque Græcorum gratiſſimum accidit: Ætolis & Athenienſibus diſplicuit: qui paullò pòſt allato Alexandri regis obitu defecerunt. Leoſthenes Athenienſium dux VIII. millia mercenariorum habebat, clam id præcipientibus Athenienſibus, ſuperſtite adhuc Alexandro. Eo mortuo, palam erumpere auſus, Theſſalis equitibus adjunctis, Græciam ad libertatem excivit. Hinc Lamiacum bellum ab Athenienſibus initum. Antipater ut iis reſiſteret, Craterum in auxilium evocat; nec non Philotam. Victus interim Antipater Lamiam Theſſaliæ oppidum fugit, ubi à Leoſthene obſeſſus eſt. Sed is in obſidione ictu ſaxi periit. In hunc funebrem orationem dixit Hyperides. Nam Demoſthenes ob Harpali pecunias damnatus exulabat. Leoſtheni ſuffectus eſt Antiphilus. Inter hæc Ptolemæus Lagi F. à Perdicca ſibi metuens ſocietatem cum Antipatro facit. Leonnatus ab Antipatro accitus à Græcis obviam progreſſis occiditur. Diodorus XVIII.

Per. Jul.	Mundi.	Ante Chr.	Olymp.	Urbis cond.	Æra Nab.
4392 24 3 F	3662	322	III	432	417

Q. Fabius. *Archon Philocles.*
L. Fulvius. Diod.

Dictator A. Cornelius Arvina Samnites vincit: qui violatarum induciarum auctorem dedere coguntur Brutulum Papium. Liv. VIII.

Græci navali prælio bis victi, Eetione Athenienſium, Clito Macedonum imperatoribus. Diod. lib. XVIII.

Demoſthenes ab exilio revocatus ſummo cum honore Athenis excipitur. Cratero ad Antipatrum adjuncto Græci à Macedonibus, ad Cranonem in Theſſalia prælio victi, Metagitnione menſe, id eſt Auguſto. Deſerti Athenienſes pacis à victore conditiones accipiunt. Itaque Boëdromione menſe, id eſt Septembri præſidium in Munychiam impoſitum. Halicarn. in Dinarcho. Demoſthenes fugit, & in Calauria inſula, Pyanepſionis XVI. die, qui Novembris X. fuit, veneno ſibi necem conſcivit. Plutar. in ejus vita. Quo eodem anno moritur Ariſtoteles in Chalcide anno ætatis LXIII. Diog. in ejus vita. Succeſſit illi Theophraſtus.

Perdiccas Ariarathe Cappadociæ Satrapa, quem Alexander omiſerat, victo, ejus provinciam Eumeni conceſſit. Cyrenenſes à Ptolemæo Lagida ſubacti, Thimbrone Harpali ſocio per Ophellam ducem ſuperato. Diod. lib. XVIII.

Perdiccas Alexandri ſororem Cleopatram duxit, cùm Nicæam Antipatri filiam ſibi deſpondiſſet, ac de invadendo regno cogitat. Antipater & Craterus Ætoliam invadunt, cúmque in eo eſſent, ut cum Ætolis, qui ad montes ſe receperant, debellarent, Antigonus ad eos pervenit, egitque, ut pace cum Ætolis interim facta, communicatis cum Ptolemæo conſiliis Perdiccæ reſiſterent, qui Ptolemæum aggredi primò decreverat.

Arrhidæus Alexandri corpus in Ægyptum devehit. Id Alexandriam à Ptolemæo deportatum. Perdiccas in Ptolemæum expeditionem molitus Eumenem Antipatro & Cratero ad Helleſpontum objicit; cum eóque Alcetam & Neoptolemum mittit. Hic ab Eumene deficiens acie vincitur. Mox in alia pugna Craterus & Neoptolemus victi occiſique. Neoptolemus etiam Eumenis manu. Perdiccas in tranſitu Nili militari ſeditione à ſuis occiditur. Concione Macedonum habita, Pithon & Arrhidæus regum tutores facti. Eumenes, & Alcetas hoſtes judicati. Attalus Perdiccæ navarchus Tyrum occupat. Diod.

Per. Jul.	Mundi.	Ante Chr.	Olymp.	Urbis cond.	Æra Nab.
4393 25 4 ED	3663	321	IV	433	418 Nov. 11

T. Veturius Calvinus. *Archon Archippus.* Dion. in Dinarcho.
Sp. Poſtumius. Diod. *Apollodorus.*

Coſſ. ad furcas Caudinas à Samnitibus victi: Romani ſub jugum miſſi, duce Samnitum Pontio. Coſſ. Romam reverſi nihil pro magiſtratu geſſerunt. Liv. lib. IX.

Ætoli ut Perdiccas juſſerat Theſſaliam invadunt. Sed à Polyſperchonte victi, occiſo Menone duce. Eurydice Arrhidæi conjuge tumultuante, Pitho tutela ſe abdicat. Ei ſubſtitutus Antipater. qui præfecturas partitus exercitui regio Antigonum præficit. Hic contra Eumenem proficiſcitur, eúmque

defectione ſuorum in Nora caſtellum Cappadociæ compellit. Interim Ptolemæus Lagida Phœniciam armis expugnat. Eumene victo Alcetam, & Attalum aggreditur Antigonus, & in Piſidia utrumque ſuperat. Alcetas à Piſidis occiditur.

Antipater ab Athenienſibus per Demadem rogatus, ut è Munychia præſidium detraheret, proditionis hunc compertum, cum filio jubet interfici. (Plutarchus id Caſſandro tribuit.) Polyſperchontem regis tutorem, & ducem αὐτοκράτορα deſignat; Caſſandrum verò filium χιλίαρχον Caſſander ea re offenſus ad Ptolemæi ſocietatem reſpicit. Polyſperchon Olympiadem, quæ Antipatri metu in Epirum fugerat, ad Alexandri filii, nepotis ſui tutelam capeſſendam evocat.

Antigonus novas res agitat audita morte Antipatri. Arrhidæus Phrygiæ Satrapa Cyzicum aggreditur irrito conatu. Diod. XVIII.

Per. Jul.	Mundi.	Ante Chr.	Olymp.	Urbis cond.	Æra Nab.
4394 26 5 C	3664	320	Olymp. 115	434	429

Q. Publilius Philo. *Archon Neæchmus.*
L. Papirius Curſor. Diod.

Romani ſuperioris anni clade & ignominia vehementiùs excitati Samnitas victos ſub jugum mittunt, Papirio duce. Liv. IX.

Eumenes rebus cum Antigono compoſitis paullatim priſtinas opes recuperat. Antigonus verò regias pecunias intervertit.

Polyſperchon Græciæ civitatibus libertatem denunciat. exules ad XXX. Xanthici menſis reduci jubet. Eumenem datis ad eum litteris ſibi conciliat. Eumenes modeſtiſſimè ſe gerit, & ut invidiam declinaret, Alexandri quaſi ſuperſtitis thronum collocari juſſit: ut etiamnum præeſſe videretur. Diod. XIX.

Per. Jul.	Mundi.	Ante Chr.	Olymp.	Urbis cond.	Æra Nab.
4395 27 6 B	3665	319	II	435	430

L. Papirius Curſor. *Archon Apollodorus.*
Q. Æmilius Cerretanus. Diod.

Debellati Samnites: Satricum captum. Liv. IX.

Hujus Archontis, ut & ſuperioris, anni apud Diodorum exciderunt. Nos è Dionyſio Halicarn. in Dinarcho utrumque ſupplevimus.

Per. Jul.	Mundi.	Ante Chr.	Olymp.	Urbis cond.	Æra Nab.
4396 28 7 A	3666	318	III	436	431

M. Follius Flaccina. *Archon Archippus.*
L. Plautius Venox. Diod. XIX.

Samnitibus induciæ in duos annos datæ. Duæ tribus additæ: Ouſentina & Falerina. Liv. IX.

Athenis Munychiam obtinebat Nicanor: quem Menyllo ab Antipatro impoſito ſucceſſorem miſerat Caſſander. Is nequicquam orantibus Athenienſibus ut præſidium tolleret, militibus arcem firmat: & Piræeum inſuper occupat.

Alexander Polyſperchontis filius in Atticam cum exercitu venit. Hunc Phocio, aliíque legati Athenienſium hortantur arcem uti retineat. Athenienſes Phocionem cum ceteris capitis condemnant. Qui ad Alexandrum confugiunt, ab eóque Polyſperchonti commendantur. Hic Phocionem comprehenſum Athenas miſit: ubi cicutæ hauſtu necatus, eſt Munychionis XIX.

Caſſander claſſe ab Antigono accepta Piræeum venit. Polyſperchon ad eum obſidendum accurrit. ſed commeatu deficiente in Peloponneſum tranſit, & fruſtrà Megalopolitanos oppugnat. Navali conflictu Clitus Polyſperchontis dux Nicanorem Caſſandri præfectum ſuperat. Sed mox opem ferente Antigono vincitur. Eumenes Antigonum fugiens in Perſidem copias transfert. Athenienſes Caſſandro ſe dedunt, & populari abrogato imperio, curatorem urbis Demetrium Phalereum accipiunt: qui abſens paullò antè morte damnatus cum Phocione fugerat. Diod. XVIII. Plut. Phocione.

Eurydice contra Polyſperchontem, & Olympiadem Caſſandrum advocat. Sed Olympias illam cum Arrhidæo comprehenſam interficit; cùm regnaſſent annos VI. menſes IV. Diod. lib. XIX.

Per. Jul.	Mundi.	Ante Chr.	Olymp.	Urbis cond.	Æra Nab.
4397 1 8 GF	3667	317	IV	437	432 Nov. 10

C. Junius Bubulcus. *Archon Demogenes.*
Q. Æmilius Barbula. Diod.

Theates Appuli deditionem populi Romani faciunt. Liv. IX.

Agathocles Carcini Rheginenſis adſcriptitii civis filius, ibíque figlinam edoctus à patre, tyrannidem occupat, cùm imperator ſæpè creatus eſſet.

Eumenes dux Argyraſpidum Carrhis hiemabat. Qui cùm auxilium à Seleuco contra Antigonum impetrare non poſſet, in illum ipſum ducit exercitum: & in Suſianam profectus Satraparum concilium indicit, eóſque de imperio altercantes prudentia ſua moderatur. Antigonus ducum conſenſione territus bellum inſtruit.

Hunc annum à Trojæ excidio DCCCLXXVII. numerat Diodorus XIX. & annum I. Olymp. XCIV. computat DCCLXXX. Intervallum anni LXXXVII. quot ab anno 4310. ad hunc ipſum intercedunt.

Per. Jul.	Mundi.	Ante Chr.	Olymp.	Urbis cond.	Æra Nab.
4398 2 9 E	3668	316	Olymp. 116	438	433

Sp. Nautius. *Archon Democlides.*
M. Popillius.

Dictator L. Æmilius Samnites ad Satriculam fundit. Liv. IX.

Antigonus adverſus Eumenem deſperato Tigridis trajectu per Mediam circumduxit exercitum. Pugnatum utrimque ancipiti exitu.

In Europa Caſſander audita regum nece, nec non Nicanoris fratris, quem Olympias interemerat, Tegeæ obſidione relicta in Macedoniam copias tranſmittit. Pydnam, quo ſe Olympias cum Roxane, & Alexandri M. filio receperat, obſidet. Polyſperchontis milites corrumpit. Epirotæ Æacidæ regi ſuo, qui Olympiadi ſuppetias ferebat, abrogant imperium, & ad Caſſandrum deficiunt. Capta itaque Pydna Olympiadem Caſſander interficit, & Theſſalonicen Alexandri ſororem conjugem ducit. Mox in Peloponneſum proficiſcitur.

Per. Jul.	Mundi.	Ante Chr.	Olymp.	Urbis cond.	Æra Nab.
4399 3 10 D	3669	315	II	439	434

L. Papirius IV. *Archon Praxibulus.*
Q. Publius Philo. Diod.

Livius eos non nominat. ſed ait manſiſſe domi; bellum autem à Dictatore Q. Fabio geſtum. Cùm obſideretur à Romanis Satricula, Samnitibus caſtra in propinquo tenentibus, Q. Æmilius Cæretanus Mag. Equitum inconſulto Dictatore pugnans ducem hoſtium occidit; ſed mox & ipſe perimitur. Capta Satricula. Sora ad Samnites deficit. Novus equitum magiſter C. Fabius Dictatoris juſſu clam ſubiens pugnantes Samnites adortus à tergo. cùm interim Dictator re diſſimulata caſtra per ſpeciem incendi juſſiſſet, ut deſperatione redeundi militem animoſiorem redderet. Victi Samnites. Liv. IX.

In Græcia Thebæ viceſimo, quam everſæ fuerant, anno à Caſſandro reſtitutæ. Idem & Caſſandriam in Macedonia condidit.

In Aſia Antigonus hieme contra Eumenem per occultos, deſertóſque calles contendit. Sed Eumenis aſtu deluditur. Poſtea facto conflictu, impedimentíſque ab Antigono direptis, Eumenem Argyraſpides vinctum Antigono tradunt: qui ab eodem interficitur. Hieronymus Cardianus hiſtoricus Eumenis comes vita donatur. Inde in Mediam redit Antigonus, & Pithonem novas res molientem interimit. Satrapias ordinat. Peuceſtæ præfecturam eripit.

Rhodus aquarum eluvione magna ex parte collapſa. Secundùm hæc Antigonus Babylonem veniens à Seleuco perhonorificè exceptus eſt. Sed cùm ab eo adminiſtratæ præfecturæ rationem poſceret, Seleucus ad Ptolemæum confugit. Quibus adjuncto Caſſandro, bellum contra Antigonum paratur. Seleucus cum C navium claſſe ex Ægypto ſolvit. Antigonus duces ſuos longè latéque dimittit. Alexander Polyſperchontis F. ad eum venit. Fit inter illos fœdus. Caſſander ni Græcas civitates liberas relinquat, hoſtis judicatus. Ptolemæus quoque decreto ſuo illas ſublevat.

Apollonides Caſſandri dux urbes Arcadiæ ſubigit. Alexander quoque ſpe Peloponneſiacæ præfecturæ pellectus ad Caſſandrum deficit.

Polyclitus Seleuci dux ingentem hoſtium claſſem, nec non terreſtres copias ſtratagemate ſuperat.

Agathocles fruſtrà Meſſeniis inſidiatur. Diod. lib. XIX.

Per. Jul.	Mundi.	Ante Chr.	Olymp.	Urbis cond.	Æra Nab.
4400 4 11 C	3670	314	III	440	435

C. Sulpicius. *Archon Nicodorus.*
M. Pœtelius. Diod.

Sora transfugæ proditione capta. Luceria de Samnitibus recepta. De occultis conjurationibus quæſtio C. Mænio Dictatori permiſſa. qui à nobilibus accuſatus, abdicat ſeſe, & poſtulatus abſolvitur. Samnites à Coſſ. magna clade affecti. Liv. IX.

Ariſtodemus Antigoni dux Ætolos adjungit ſibi, contráque Alexandrum bellum gerit. Dymæi ab Caſſandro deficientes expugnantur ab Alexandro. qui ab Alexione Sicyonio per fraudem occiditur. Ejus uxor Crateſipolis virili fortitudine regit exercitum.

Caſſander Acarnanas diſperſos in unum cogit, & Ætolis opponit. Leucadem capit. Illyriorum regem ſuperat. Eo digreſſo Acarnanes ab Ætolis victi, & contra fidem interfecti. Caſſander in Cariam auxilia mittit. Antigonus Demetrio filio in Syria relicto cum veteranis Alexandri militibus in Aſiam adverſus Caſſandrum proficiſcitur.

In Sicilia Agrigentini, aliæque civitates Agathocli bellum inferunt, & ducem à Lacedæmoniis Acrotatum accipiunt Cleomenis F. Is ſuperbè & tyrannicè ſe gerens abrogato imperio reverſus eſt. Agrigentini cum Agathocle componunt. qui paullatim ſecundis rebus evehitur. Diod. XIX.

Xenocrates moritur, cùm annos XXV. Platonicæ ſcholæ præfuiſſet. Diogen. Laërt.

Per. Jul.	Mundi.	Ante Chr.	Olymp.	Urbis cond.	Æra Nab.
4401 5 12 BA	3671	313	IV	441	436 Nov. 9

L. Papirius Curſor V. *Archon Theophraſtus.*
C. Junius Bubulcus. Diod.

Dictator C. Pœtelius Libo Nolam capit. Sueſſam, & Pontiam coloniæ deductæ. Liv. IX.

Callantiani Ponti accolæ Thraciæ finitimi à Lyſimacho deficientes ab eodem domiti. Antigonus Teleſphorum ducem in Peloponneſum mittit, qui civitatibus libertatem redderet. Epirotæ à Philippo Caſſandri duce victi, & Æacides illorum rex occiditur. Antigonus Cariæ urbes obtinet. Diod. XIX.

Per. Jul.	Mundi.	Ante Chr.	Olymp.	Urbis cond.	Æra Nab.
4402 6 13 G	3672	312	Olymp. 117	442	437

M. Valerius Maximus. *Archon Polemo.*
P. Decius Mus. Diod.

Bellum Hetruſcum oritur. Altero Coſſ. in Samnio relicto, ægrotante Decio, Dictator fit C. Junius Bubulcus. Cenſura Appii Claudii, & C. Plautii celebris. quorum ille viam munivit, & aquam duxit. Idem à Potitia gente ad ſervos Herculis ſacra tranſtulit: ob idque captus oculis. Collega ob infamem Senatus lectionem ſe abdicavit: ſolus Appius Cenſuram tenuit. Liv. IX.

Antigonus per duces ſuos pluribus Græciæ civitatibus libertatem tribuit. Fruſtrà in Macedoniam trajicere contendit.

Cyrenæi rebelles à Ptolemæo ſuperantur. qui & Cyprum obtinet: & cum Seleuco Demetrium ad Gazam vincit, ac Phœniciam occupat. In Europa Teleſphorus claſſi ab Antigono præfectus deficit: contra quem dux alter Ptolemæus bellum gerit.

Epiri regnum Alcetas poſt Æacidem tenuit. quo cum Caſſander compoſitionem facit.

Seleucus

Seleucus Babyloniam exiguis copiis invadit. Inde Nicanore Antigoni duce devicto, Mediam, Suſianam, aliáſque regiones in ditionem ſuam redigit. Demetrius Cillen Ptolemæi ducem vincit. Antigono redeunte, Ptolemæus in Ægyptum regreditur. Antigonus Athenæum contra Arabes mittit. qui re initiò feliciter geſta; pòſt, incurioſiùs agens opprimitur. Cum iis Demetrius componit; ideóque ab Antigono reprehenditur. Mox in Babyloniam miſſus eam recuperat. Diod.

Æra Seleucidarum, ſive Dilkarnaim ab hoc anno incipit. Vide lib. X. cap. XLIII. Hanc lib. I. Macch. à Niſan hujus anni: poſterior à Tiſri incipit.

Agathocles dolo Meſſanam occupat. Carthaginienſes in Siciliam expeditionem agunt, & in Siculos crudeliſſimè graſſantur. Agathocles Dinocratem exulum ducem ſuperat. hinc Carthaginienſes laceſſit. Diod. XIX.

Per. Jul. ☉	Mundi.	Ante Chr.	Olymp.	Urbis cond.	Æra Nab.
4403 7 14 F	3673	311	II	443	438

C. Junius Bubulcus III. *Archon Simonides.*
Q. Æmilius Barbula. Diod.

Duorum magiſtratuum creatio hoc anno populo permiſſa. Primùm latum ut Tribb. mil. XVI. ab illo deligerentur. Secundò ut Duumviri claſſi ornandæ, reficiendæque Tubicinum collegium cùm ab Urbe Tibur fugiſſet, revocatum. Liv. IX. Valer. Max.

Hetruſci ab Æmilio victi. Liv. IX.

Annus hic à Diodoro numeratur ab excidio Trojæ DCCCLXXXIII. Caſſander, Lyſimachus, & Ptolemæus pacem cum Antigono faciunt. Roxane cum Alexandro filio à Caſſandro necatur.

Carthaginienſes ad Himeram fluvium Agathoclem ingenti prælio ſuperant. Diod. XIX.

Per. Jul.	Mundi.	Ante Chr.	Olymp.	Urbis cond.	Æra Nab.
4404 8 15 E	3674	310	III	444	439

C. Marcius Rutilus. *Archon Hieromnemon.*
Q. Fabius. Diod. XX.

Hetruſci victi; ac tum primùm Ciminium ſaltum penetravit Fabius, & Hetruſcos fudit; poſtquam ejus frater ſimulato habitu exploratum ivit. Noctu Conſul aggreſſus hoſtium caſtra LX. M. cecidit. Marcius Alliſas, & alia Samnitum oppida capit. Trepidatum Romæ, Dictatórque factus Papirius. Liv. IX.

Agathocles bellum in Africam è Sicilia transfert poſt ingentem Solis defectionem: ibique Pœnos ſæpiùs vincit, cùm naves antea ſuccendiſſet, ut deſperatione reditus militum ſuorum animos excitaret. Contigit ea defectio Aug. XV. feria VI. hora 8. Syracuſis.

Carthaginienſes Amilcarem è Sicilia revocant: qui incaſſum Syracuſas oppugnat. Rurſus ab Agathocle victi Carthaginienſes Saturno liberos ſuos immolant.

Antigonus contra Ptolemæum denuo bellum gerit. Dux alter Antigoni Ptolemæus ad Caſſandrum deficit. Polyſperchon Herculem Alexandri M. ex Barſine filium Pergamo accitum ad regnum provehit, ejuſque nomine copias conſcribit.

Nicocles in Cypro proditionis inſimulatus juſſu Ptolemæi Lagidæ necatur.

Paryſada Boſphori rege mortuo, tres filii, Satyrus, Prytanis, Eumelus de regno inter ſe contendunt. Superſtes fratrum neci regnat Eumelus annis ferè V. Diod. lib. XX.

Per. Jul.	Mundi.	Ante Chr.	Olymp.	Urbis cond.	Æra Nab.
4405 9 16 DC	3675	309	IV	445	440 Nov. 8

Coſs. *hoc anno nulli.* *Archon Demetrius Phalereus.* Diod. XX.

Dictator in Faſtis notatur L. Papirius: quem L. Fabius Coſ. alioquin inimicus dixerat. Sed legem Curiatam ferenti de imperio omen diffidit Faucia Curia prærogativa. Samnites auratis, & argentatis armis inſignes à Papirio victi. Hetruſci à Fabio ſuperati. Peruſia capta. Liv. IX.

Ptolemæus Lagi F. Ciliciæ urbes recuperat. Ptolemæum Antigoni fratris filium, & illius deſertorem interficit Polyſperchon Herculem Alexandri filium, quem regem fecerat, à Caſſandro perſuaſus occidit.

Cleomenes Lacedæm. rex moritur, cùm regnaſſet annis LX. M. X.

Amilcar in Sicilia cùm à vatibus accepiſſet, ſe poſtridie Syracuſis eſſe cœnaturum, victus à paucis, & Syracuſas ductus, ibique cæſus eſt. Agrigentini turbatis in Sicilia rebus, civitates in libertatem aſſerere à Carthaginienſium, & Agathoclis ſervitute duce Xenodico inſtituunt. In Africa interim Agathocles militari ſeditione in extremum diſcrimen adductus eſt. Sed placatis militibus priſtinæ fortunæ reſtitutus eſt. Diodorus XX. Juſtin. lib. XXII.

Per. Jul.	Mundi.	Ante Chr.	Olymp.	Urbis cond.	Æra Nab.
4406 10 17 B	3676	308	Olymp. 118	446	441

Q. Fabius III. *Archon Charinus.*
P. Decius Mus. Dionyſio *Cærimus.* Diod.

Fabius Samnites & Marſos, ac Pelignos: Decius Tarquinienſes ſuperant. Umbros Fabius in deditionem accepit. Liv. IX.

Ptolemæus Lagi F. Græcis libertatem reddit. Mox iiſdem infenſus cum Caſſandro convenit. Cleopatra Alexandri M. ſoror cum Ptolemæo nubere vellet, ab Antigono Sardibus occiditur.

Agathocles Carthaginienſes iterum vincit. Ophellam Cyrenæorum regem evocatum ad ſeſe nec opinantem interficit. Bomilcar Carthagine tyrannidem affectans occiditur. Agathoclis naves onuſtæ ſpoliis in Siciliam profectæ tempeſtate disjectæ ſunt. Diod. XX. Juſtin. XXII.

Per. Jul.	Mundi.	Ante Chr.	Olymp.	Urbis cond.	Æra Nab.
4407 11 18 A	3677	307	II	447	442

Ap. Claudius. *Archon Anaxicrates.*
L. Volumnius. Diod.

Volumnius contra Salentinos proſperè bellavit. Prorogatum imperium Fabio, qui Samnites vicit. Liv. IX.

Demetrius Antigoni F. occupato Pyræeo, excíſáque Munychia libertatem priſtinam Athenis reddidit, poſt annos XV. quàm Lamiaco bello in ſervitutem redacti fuerant. Oligarchiam tum ſublatam eſſe teſtis eſt in Dinarcho Dionyſius: fugiſſéque Dinarchum, cùm accuſatus eſſet.

Fugit

Per. Jul. * ☉ | Mundi. | Ante Chr. | Olymp. | Urbis cond. | Æra Nab.

Fugit & Demetrius Phalereus ad Ptolemæum. Porrò Demetrius Antigoni F. ad urbem appulit Thargelionis xxvi, qui fuit Maii xi, quæ dies in illius honorem publico decreto σωτήριος eſt dicta. Fœda itaque Athenienſium in reges adulatio fuit. Secundùm hæc Demetrius in Cyprum profectus, Menelaum Ptolemæi ducem in ea vincit: expugnat oppida: Ptolemæum navali certamine ſuperat. Ob hæc Antigonus & Demetrius regium nomen uſurpant. quod & reliqui fecerunt; imò & Agathocles ipſe. qui quidem Uticam capit. tùm relicto in Africa Archagatho filio, in Siciliam excurrit. Archagathus re primùm proſperè geſta; deinde malè habitus patris implorat auxilium. Agathocles reverſus cùm nec ipſe ſecundo curſu uteretur, clam Archagatho relicto, cum altero è liberis reverti in Siciliam deſtinat. Sed cùm id militibus cognitum eſſet, vinculis ille conſtrictus, mox eorumdem miſeratione dimiſſus fugit in Siciliam, relictis liberis: quos milites jugularunt. Agathocles militum liberos & conjuges viciſſim excarnificatos interficit. Diod. xx. Juſt. xxii. Philochorus apud Dionyſ. in Dinarcho.

4408 12 19 G | 3678 | 306 | III | 448 | 443

P. Cornelius Arvina. — *Archon Corœbus.*
Q. Marcius Tremulus. — Diod.

Hernici à Marcio victi. Samnites ab utroque profligati. Cum Carthaginienſibus fœdus tertiò ſancitum. Liv. ix.

Antigonus navalem ac pedeſtrem exercitum in Ægyptum ducit. ſed afflicta claſſe, aditúque prohibitus redit in Syriam.

Agathocles fractis rebus, pacem cum Dinocrate exulum duce tentat incaſſum. Ideo cum Carthaginienſibus paciſcitur. Diod. xx.

4409 13 1 FE | 3679 | 305 | IV | 449 | 444 Nov. 7

L. Poſtumius. — *Archon Xenippus.* Diod.
T. Minucius. — Dionyſio *Euxenippus.*

Victi Samnites à duobus Coſſ. duplici prælio. Herculis ingens in Capitolio ſimulacrum erigitur. Liv. ix.

Antigonus Rhodiis infenſus, qui ad bellum Cyprium ſubſidia negaverant, Rhodum per Demetrium filium oppugnat. Sed acerrimè defenditur.

Agathocles Dinocratem vincit, & pace cum exulibus facta, mox eoſdem interficit: ac Dinocratem ſibi conciliat, & opera illius utitur. Diodor. xx.

4410 14 2 D | 3680 | 304 | Olymp. 119 | 450 | 445

P. Sulpitius Averrio. — *Archon Pherecles.*
P. Sempronius Sophus. — Diod.

Samnites priſtinum in fœdus recepti. Æqui victi, & oppida xli. intra lx. dies à Coſſ. capta. Liv. ix. Galli Tranſalpini à Ciſalpinis in Romanos fines immiſſi poſt annorum xxx. fœdus. Polyb. ii, 107.

Demetrius in oppugnatione Rhodi pergens machinas ingentes exſtruit. Sed ſtrenuè reſiſtentibus Rhodiis, pax inter illos facta, ea conditione, uti Antigono, præterquam adverſus Ptolemæum, auxilia mitterent.

Agathocles Liparitanos diripit, neque fanis Deorum parcit. Naves onuſtas ſacrilega præda tempeſtas disjecit.

Demetrius ad Græcos liberandos proficiſcitur.

Eumelius Boſpori Cimmerii rex moritur cùm regnaſſet annos vi. Succedit Spartacus annis xx. Diod. xx.

Seleucus Antiochiam, Laodiciam, Apamiam, Edeſſam, Beroeam, & Pellam condidit. Euſeb.

4411 15 3 C | 3681 | 303 | II | 451 | 446

L. Genutius. — *Archon Leoſtratus.*
Ser. Cornelius. — Diod.

Coloniæ Soram, Albam, & in Æquos deductæ. Liv. x.

Demetrius Græcis urbibus pleriſque libertatem reſtituit. Sicyonem aliò transfert; cùm eam cepiſſet: ut & Corinthum, & oppida complura.

Cleonymus Spartanus à Tarentinis contra Lucanos, & Romanos accitus Lucanos vincit. Tarentum, quod defecerat, expugnat. Demetrii & Caſſandri amicitiam reſpuit. Diod. xx.

4412 16 4 B | 3682 | 302 | III | 452 | 447

M. Livius Denter. — *Archon Nicocles.*
C. Æmilius. — Diod.

Adverſus Æquos coloniam detrectantes Dictator factus C. Junius Bubulcus octavo die triumphavit. Idem Salutis ædem, quam Conſul voverat, Cenſor locaverat, Dictator dedicavit. Claſſis Græcorum Cleonymo Lacedæmoniorum duce, Thurias urbem Salentinorum cepit. Sed ab Æmilio fugata ad Patavina littora prædabunda pervenit: ubi peſſimè accepta; ſic ut quinta pars vix domum rediret. Liv. x.

Sanè Diodorus Cleonymum ſcribit clade accepta in Corcyram rediiſſe. Bellè igitur hiſtoriæ ambæ conſentiunt.

Caſſander ab Antigono fruſtrà pacis conditiones poſtulans, Lyſimachum, Seleucum, alióſque ſibi conciliat. Antigonus ut iis reſiſteret, Demetrium accerſit. Is Eleuſiniis ſacris initiatus in Aſiam copias tranſportat. Diod. xx. ubi & ejus hiſtoria deſinit.

4413 17 5 AG | 3683 | 301 | IV | 453 | 448 Nov. 6

Coss. *hoc anno nulli fuerunt.* — *Archon Calliarchus.*

Dictatores duo; Q. Fabius maximus; pòſt verò M. Valerius Corvus. Ab hoc Hetruſci victi, & triumphus reportatus. Liv. x.

Antigonus & Demetrius conjunctis copiis, quæ ſuprà lxx m. peditum, equitum x m, cum lxxv. elephantis habebant, cum regum trium exercitu confligunt, Seleuci, Lyſimachi, Caſſandri: in quo peditum erant lxxiv m, equitum dena, & quingenti; currus cxx. Pugnatum ad Ipſum in Phrygia. Erat in caſtris Demetrii Pyrrhus, cujus ſororem Deidamiam duxerat Demetrius. Plut. Vincitur Antigonus, & occumbit in prælio. Demetrius in Græciam Athenáſque fugit: nec admittitur. Plutar. Demetrio. Diodori Fragm. Victores Demetrii ditionem inter ſe partiti.

Antiochiam

Per. Jul. * ☉ | Mundi. | Ante Chr. | Olymp. | Urbis cond. | Æra Nab.

Antiochiam condidit Seleucus anno xii. regni ſui. Euſ. Chron.

4414 18 6 F | 3684 | 300 | Olymp 120 | 454 | 449

M. Valerius.
Q. Apuleius Panſa. — *Archon Hegemachus.*

Valerius ex Dictatura Conſul factus eſt. Sacerdotia plebi permiſſa. Liv. x.

Seleucus Demetrii filiam Stratonicem ducit, cum eóque conciliatur. Mox Ptolemæi filiam Ptolemaïdem Demetrius conjugem accipit. Plutar. Demetrio.

Agathocles Corcyram à Caſſandro circumſeſſam obſidione liberat, tota Macedonum claſſe ſuccenſa. Rediens è Corcyra in mercenarios illos milites incidit, qui Archagathum filium ſuum interfecerant. quos omnes occidit. Diod. in Fragm.

Judæorum Pontifex Simon Oniæ F. clarus habetur: cui nomen Juſto. Euſ.

Arceſilaus Academicus floruit. Diogenes.

4415 19 7 E | 3685 | 299 | II | 455 | 450

M. Fulvius Pætus.
T. Manlius Torquatus. — *Archon Euctemon.*

Luſtrum conditum P. Sempronio Sopho, & P. Averrione Cenſoribus. Tribus additæ duæ, Anienſis, Tarentina.

Nequinum proditione captum. Colonia Narnienſis impoſita. Hetruſci Gallos tentant magna pecunia. At ii fidem fallunt. Manlius equo prolapſus obiit. Suffectus M. Valerius, & in Hetruriam miſſus. Samnites defectionem agitant. Lucani ab iis oppreſſi ad Romanos tranſeunt. Liv. x.

Demetrius Sidonem Tyrum, & Ciliciam, nequicquam poſtulante Seleuco, præſidiis retinet. Lachares Athenis tyrannidem molitur. Eò Demetrius advehitur, ac bellum Athenienſibus indicit; disjecta claſſe, móxque reparatâ.

Arceſilaus Seuthi filius ex Æolide, oppido Pitane, floruit circa hanc Olympiadem. Diog. Laërt. qui addit vixiſſe lxxv. annos: præfuiſſe ſcholæ lvii.

Galli Ciſalpini, qui ante annos quinque cum Tranſalpinis, & Etruſcis Romanos fines populati erant, in patriam cum ingenti præda reverſi, de hac ipſa dividenda inter ſe digladiantur. Polybius lib. ii, pag. 107. Hæc enim tertia Gallorum expeditio paullò diuturnior à nobis ſtatuenda eſt; uti tempora poſteriora reſpondeant. Vide lib. ix, cap. xlvii.

Agathocles in Italiam trajicit, & Crotonam expugnat. Diod. Eclogis.

4416 20 8 D | 3686 | 298 | III | 456 | 451

L. Cornelius Scipio.
Cn. Fulvius. — *Archon Mneſidemus.*

Cum Lucanis fœdus initum. Ad Volaterras cum Etruſcis ancipiti exitu certatum. Fulvius de Samnitibus triumphat. Liv. x.

Caſſander Macedoniæ rex tabe moritur, cùm regnaſſet annos xix. Dexippus, & Euſeb. Hic moriens filios reliquit è Theſſalonica tres, Philippum, Antipatrum, Alexandrum.

Macedonum à Carano xxvi. Philippus anno uno regnat. Dexippus. Euſeb.

4417 21 9 CB | 3687 | 297 | IV | 457 | 452 Nov. 5

Q. Fabius Maximus iv.
P. Decius Mus iii. — *Archon Antiphates.*

Fabius cùm invitus crearetur Conſul, Decium collegam poſtulavit. Victi latè Samnites Fabii conſilio. qui cùm iterùm deſignaretur Conſul, recuſavit. Ambobus ergo Coſſ. prorogatum in ſex menſes imperium. Liv. x.

Mortuo Philippo, Antipater & Alexander de regno inter ſe contendunt. Antipater Lyſimachi gener Theſſalonicam matrem, quòd Alexandro fratri favere videretur, vitam etiam per ubera materna deprecantem occidit. Ambo itaque diſcordes regnaverunt annis tribus. Euſeb. Juſtinus xvi.

Demetrius Poliorcetes Athenas arctiſſima obſidione cingit annum unum. quando Epicurus fabas in amicos diſtribuiſſe dicitur. Plut. Demet.

4418 22 10 A | 3688 | 296 | Olymp. 121 | 458 | 453

L. Volumnius.
Ap. Claudius. — *Archon Nicias.*

Samnites à Procoſ. Decio ſuis pulſi finibus ad Etruſcos ſe conferunt, & eos ad bellum Romanis inferendum concitant. Decius interim oppida in Samnio plurima Romanis ſubjicit. L. Volumnius è plebe Conſul è Samnio collegæ, qui Etruſcis oppoſitus erat, litteris evocatus in Etruriam pergit. Negante Appio ſe vocaſſe, rediturus à militibus retinetur. Fuſi in Etruria hoſtes. Samnites profligati à Volumnio. dux eorum Egnatius captus.

Lachares tyrannus Athenis fugit. Urbem Demetrius obtinet, & cum Athenienſibus benignè præter ſpem ſe gerit, eóſque frumento ſublevat: atque impoſito præſidio diſcedit. Plut. Demetrio.

Alexander Macedoniæ rex contra fratrem Antipatrum primò Demetrium: tùm eo cunctante, Pyrrhum in auxilium advocat. Is præmii loco Macedoniæ partem occupat. Plut. Pyrrho, & Demetrio.

4419 23 11 G | 3689 | 295 | II | 459 | 454

Q. Fabius v. — *Archon Nicoſtratus.*
P. Decius iv.

Orta Coſſ. inter contentio, cui Etruria provincia daretur. Populus extra ſortem attribuit Fabio. Poſtea Coſſ. ambo in Etruriam contra Etruſcos, Samnites, & Gallos profecti. Deleta primùm à Gallis Legio, L. Scipione proprætore. Deinde flagrante prælio, & inclinante cornu ſiniſtro, cui Decius præerat, hic pro legionibus ſeſe devovet. Hoſtes victi. Volumnius in Samnio proſperè rem gerit. Livius annum hunc xlvi. numerat belli Samnitici, quod cœpit Valerio & Cornelio Coſſ. anno U. C. ccccxi. Intervallum annorum xlviii. Liv. lib. x.

Polybius